



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1657

§. 277. Et quemadmodum positum erat Corpus ejus. v. 55.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

considerantes, & quemadmodum positum erat corpus Iesu. Faciebat hoc amor. amor enim volat, currit, & non tenetur, quærit quod diligit, modum nescit sed super omnem modum fervescit, labores non reputat, ut frui possit amato & eum honorare.

Domine Iesu, videam & ego inspiciamque sedulo monumentum mysticum corporis tui, quod est cor meum, in quo toties poneris, per sacram communionem, qualiter sit constitutum an album virtutibus, an nigrum fuligine Passionum & peccatorum. Videam postro quomodo componaris in eo, an decenter? an inordinate? præparem me obsecro ut veniam cum virtutum aromatibus, omnes peccati foetores inde procul abacturus, & si quid vitiosum in eo & macularum sit ferventibus amoris lachrymis abstergam semper, ut amore tuo fervens ibi permanere possis, & ego quiescere quiete conscientia immaculata.

§. 277. *Et quemadmodum positum erat Corpus eius. v. 55.*

Nescio cur tam curiose contemplatae sint mulieres istae piæ situm corporis Dominici, nisi ad unctiorem faciendam per ipsas, præter eam quam iam impenderant ipsi Ioseph ab Arimathia & Nicodemus principes. non enim eis alio poterat servire ista notitia. si vero etiam ipsæ corpori Iesu post mortem exhiberent honorem, amoris suo utcunque satisfaciebant, eumque placebant, & conscientia suæ, magna distanti beneficia in se collata, gratitudinis debitæ onus aliquantum alleviabant.

Ela, Deus meus, tu es gloria mea & exultatio cordis mei. agnosco me debilem nimis in amore tuo & imperfectum in virtutibus, ideo necesse habeo à te confortari, dilata me in amore, ut discam interiore cordis ore degustare quam suave sit amare & in amore lique fieri & natate imiter amorem harum foeminarum, sim de gratitudine erga te sollicitus, deficiat in laude tua anima mea, amem te plusquam me, honorem te plusquam me, nec me amem nisi propter te, & omnes in te, maxime qui vere amant te.

§. 278. *Et revertentes paraverunt aromata & unguenta. v. 56.*

Vtique à monte Calvaria & sepulchri loco reverserint in urbem Hierosolymam in admiratione, lachrymis & amore plenæ, & cum festinatione ut emerant aromata variarum specierum, & unguenta optima, adhuc ante initium diei festi, ut eo celebrato statim re-